

SYNOPSIS HISTORICO - CRITICA

DE
ORTU, PROGRESSU, FATIS, INSTAU-
RATIONE ATQUE USU HODIERNO
LINGuae HEBRAICAE, EJUS-
QUE SUBSIDIIS.

QUAM

UNA CUM SELECTIS EX LIB. I. MOSIS POSITIO-
NIBUS PHILOLOGO - SCRIPTURISTICIS

A. D. T. O. M.

P R A E S I D E

PRO SUPREMA LAUREA. THEOL.

P. JOANNE A CRUCE,
ORD. CARMEL. DISCALC. IN ALMA ET ANTIQUIS-
SIMA UNIVERSITATE HEIDELBERGENSI
LL. OO. PROFESS. P. O.

PRO
CONSEQUENDA PRIMA LAUR. THEOL.

PUBLICO ERUDITORUM TENTAMINI

S U B M I T T I T

P E T R U S H U M M E L,

BELLHEMIENSIS,

PHILOSOPHIAE MAGISTER, SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS ELECTOR. PALAT. ALUMNUS, ET TITULARIS
CLERICUS SS. THEOL. AC SS. CANONUM
AUDITOR.

HEIDELBERGAE IN AULA ACADEMICA

DIE 14 AUGUSTI, ANNO MDCCCLXXXVI.

Ex Officina JOAN. BAPT. WIESEN, Univers. Typogr.

*Salviano Heim
cum eodem laute
A. P. an igno cum Salutem*

B. 406

Hanc de Lingua Hebraea, ejusque subsidiis Synopsin literariam non doctis, consummatisque s. studii philologici Magistris, sed neo-philebraeis, potissimum illis, quibus grandiora ejusdem argumenti volumina vel comparandi, vel legendi facultas deficit, scriptam atque dicatam esse, vel solus hujus loquitur conspectus: plura interim de hocce argumento (donec de singulis ejus partibus uberius differendi scribendive detur occasio) aut etiam pro sua sentiendi libertate, nostris adsertis forsan obposita desideranti subpeditabunt Walton proleg. in Biblia polygl. Leusden Philo. Hebr. Richardi Simonis Histoire critique du V. T. Ludovici Capell. Critic. Sac. Carpzov. Critic. sac. V. T. Monsperg. Instit. Hermenevt. aliquique tum philologi, tum critici s.

S
HIST

ORTU, P
TIONE E

Lingua
be condit
recte statu

* Sunt
fusionem p
miliae &
ante hand
Linguae C
quidem fi
nonni ab



S Y N O P S I S HISTORICO - CRITICA

D E

ORTU, PROGRESSU, FATIS, INSTAURA-
TIONE AC USU HODIERNO LINGUAЕ
HEBRAEAE, HUJUSQUE
SUBSIDIIS.

§. I.

Lingua hebraea omnium, quae ab or- Lingua.
be condito floruere, linguarum prima rum pri-
recte statuitur * ma he-
braea.

* Sunt, qui hanc post linguarum con-
fusionem primum ortam, eamque soli Fa-
miliae & posteris *Heber* propriam fuisse,
ante hanc vero aliam sub nomine vulgari
Linguae Orientis obtinuisse defendant; qui
quidem si primae linguae nomen *Hebraeae*
non nisi ab *Hebero* post diluvium inditum

A 2 velint,

velint, nos quoque sibi consentientes infra
 §. VII. habebunt: si vero linguam a sic dicta
hebraea plane diversam ab orbe condito ad
linguarum confusionem usque in Oriente
 viguisse existiment, eorum opinioni solidis
 rationibus haud suffulta refragari, & he-
 braeae p^rae aliis primatum cedere nos co-
 gunt partim communior VV. & RR. Phi-
 lol. praesertim S. Hieron. Com. in Soph.
C. III. linguam hebraeam omnium aliarum
Matrem compellantis sententia, partim mi-
 ra ejusdem *simplicitas*, *puritas*, simul &
foecunditas, ceu manifesti antiquitatis indi-
 ces: tum & vel maxime Nomina propria
 primis hominibus, Patriarchis, aliisque
 rebus singularem ob eventum passim im-
 posita, quorum ratio in sola lingua hebraea
 ex ipso etymo congrue redditur, in aliis
 linguis frustra quaerenda; eoquod ejusmo-
 di nomina in aliud idioma translata aut nul-
 lum, aut saltem non eundem, quem in he-
 braeo habent, significatum obtinent.

§. II.

Author. Hanc primus hominum Parens divi-
 nitus edoctus fuisse verosimilius videtur *

* Cum

* Cum teste experientia nulla lingua homini a natura congenita sit, prone sequitur, quamcunque vel propria meditatione, vel peculiari Dei, hominumve institutione acquirendam esse: linguae enim cuiusdam inventionem vires naturae humanae haud excedere, sententiae Adamum ipsum primae linguae authorem statuentis argumenta videntur saltem evincere: re ipsa tamen illam qualemque etiam, proprio Marte ab Adamo comparatam fuisse, ut credamus, nemo nobis facile persuaserit; vix enim a nobis impetrare poterit, ut Adamum a Deo indubie in statu perfecto conditum, & ad vitam socialem destinatum, adeoque cunctis necessariis corporis animaeque dotibus (quibus facultas loquendi praeprimis adnumeranda venit) jam ditatum, aut velut infantem penitus elinguem, aut certe perdiffici, atque protracto linguae cuiusdam, qua internos mentis conceptus eloqui posset, ad inveniendae studio sollicite diu insudantem nobis effingamus: primum namque creatrici Dei cuncta suaviter disponentis sapientiae: alterum vero Mosi, Adamum vix conditum colloquia cum Deo miscentem, animantibus nomina con-

grua imponentem enarranti repugnare
videtur.

§. III.

Própa-
gatio. Adami posteros ejus linguam par-
tim institutione, partim imitatione pro-
cul dubio haufisse subponimus *

* Haec enim sunt ordinaria linguis ad
alios propagandi media, quae dum subpe-
tunt atque sufficiunt, de insolitis haud co-
gitandum est: hanc ipsam tamen linguam
pro illis rerum initiis, temporisque angu-
stiiis rudem adhuc, valdeque imperfectam
fuisse non inficiamus.

§. IV.

Incre-
mentum. Aučto subinde genere humano non
potuit non augeri quoque communis ho-
minum lingua *

* Sub nomine *incrementi* intelligimus
novum novarum vocum significatum ad no-
vos, diversosque animi conceptus apte ex-
primendos stabilitum; dum igitur Moses

L. I.

L. I. cc. IV, V, & VI nobis enarrat, utriusque fratri Caini & Seth posteros in numerosam admodum hominum multitudinem jam excreuisse, artes subin varias pro vita commode ducenda primum detectas, ad harum exercitium apta varii generis instrumenta inventa fuisse; ecquis porro dubitabit pro conservando mutuo societatis vinculo nova quoque, suadente ita necessitate, excogitata fuisse vocabula, queis novas rerum plurimarum, quarum nulla antehac sive notitia, sive experientia praecesserat, ideas homines sibi mutuo exprimerent?

§. V.

Unica eaque hebraea omnium lingua
ante & post diluvium per 18 fere saecula
perduravit usque ad confusionem babe-
licam *

Unitas.

* Videtur hoc aperte colligi ex I. Mos.
C. XI. 1. וַיֹּהֵי כָל־הָאָרֶץ שְׁפָה אַחַת וְדִבְרִים
אֲחָدִים h. e. Erat autem universa terra labii
unius, & sermonum eorundem. — item ibi-
dem ex v. 6. חַנְעָם עַמְּךָ וְשְׁפָה אַחַת לְכָלֶם ecce
unus

unus est populus, & labium unum omnibus. — Quae quidem Mosis verba ad solum animorum consensum ab aliis immerito restringuntur; cum in contrarium nullibi vel leve etiam distinctae ab hebraea linguae in Oriente ante diluvium obtinentis vestigium adpareat; quin potius homines ex eadem stirpe descendentes, utut etiam frequentes & in varios Orientis tractus dispersos, mutuo tamen societatis & commercii vinculo inter se adhuc connexos, accedente simul longissima Patriarcharum veterum vita, eadem quoque, quam §. I. omnium primam tuemur, lingua uti & debuisse & facile potuisse videtur manifestum. — Contententi fortassis diversas saltem ejusdem dialectos ob longiora temporis, atque locorum intervalla tandem invenias fuisse, vehementer haud reluctabimur.

§. VI.

Lingua-
rum plu-
ralitas. Occasione ceptae turris & civitatis Babel Lingua haec tenus unica a Deo confusa * in plures demum abiit **

* Linguae confusio medium Deo prae aliis magis — oportunum videbatur, quo
Noa-

Noachi posteros ab opere ejusmodi in terra Sennaar temere cepto impedire, a se invicem divellere, inque varias Orbis regiones dispergere facile posset. Modus vero, quo isthaec confusio peracta fuerit, (utrum obliterato nempe priori vocum significatu, diversoque diversis tam loquentium, quam audientium conceptibus indito, an soni, literarumque permixtione, aut alia quavis ratione) aliis (Mose silente) alia opinantibus, pro certo nequit determinari;

** Uti neque five numerus, five nomina linguarum è confusione recens enatarum definiri certo queunt, dum alii LXX, alii plures, pauciores alii inde ortas augrantur.

§. VII.

Non obstante hac linguarum confusione, Lingua primaeva invariata permanefisse creditur penes familiam & posteros Heberi: * unde *hebraea* posthac probabilius audiit, ** linqua quoque *Sancta*, *Israelitica*, *Judaica* subin compellata *** Lingua primaeva conservatur, & hebraea vocatur.

* Partim, quia *Heberi* posteri, post aliorum in varias Orbis partes dispersiōnem, eam, quam antea incoluerant, regionem idemque *Clima*, e cuius mutatio-ne linguas quoque mutari facile ipsa docet experientia, non admodum variarunt: partim quia avito Dei cultu, in *Heberi* posteris potissimam partem perseverante primae-va quoque lingua, qua ille ordinabatur, ab his retenta simul fuisse jure præsumi-tur, ita tamen, ut hanc ipsam linguam ad vicinos populos ob mutuum commercium successive propagatam denuo fuisse, ultro fateamur.

** Alii cum *Waltono Proleg. III.* Ori-ginem nominis *hebraeae* linguae repetunt ab Abrahamo Jordanem transeunte, ideo-que עֲבָרִי h. e. transitore vocato: verum haec si valeret ratio, potius עֲזֹבֶר, quam עֲבָרִי compellandus fuisset; rectius igitur nomine patronymico עֲבָרִי h. e. *hebraeus* jam ante vocatus statuitur; tanti enim momenti non videtur fuisse Jordanis transitus, ut aut ipsi *transitori* Abrahamo, aut ejus posteris nomen inde peculiare inditum credamus; aequo namque jure posteri ipsius Loth, Am-monitae nempe & Moabitae post Jordanis tran-

situm quoque **עֲבָרִים** vocari debuissent, quod tamen factum fuisse nullibi legitur: neque huic ceu merae de nomine liti diu immorandum censemus.

*** Quo ex fundamento specialis *sanctitatis* praerogativa linguae hebraeae praeterea aliis debeatur, definire haud possumus: quaecunque etenim ab aliis hujus rationes adferuntur, nobis id genus tituli haud evincent: five namque is repetatur a sanctitate *Autoris*, ipsius Dei, five *subjecti*, populi nempe judaici, cui haec lingua diu fuit vernacula, five tandem *objecti*, puta, religionis ea mediante primum revelatae atque propagatae, five a variis, quae in illa latere perperam creduntur, mysteriis; pari jure lingua quoque graeca, utpote qua plerique N. T. libri primitus conscripti fuere, iisdem ex causis, prout consideranti facile adparebit, *sancta* compellanda foret; cuius tamen tituli honore ea hactenus insignita nunquam fuit; ex quo prone consequitur, isthunc *sanctitatis* titulum atque privilegium, quo lingua hebraea gaudere jactatur, soli Judaeorum sibi nimium hac de lingua blandientium arrogantiae, atque superstitioni suam debere originem.

§. VIII.

§. VIII.

Perfectio,
& ultima
linguae
hebreæ
ætas.

Floruit lingua hebraea univerſim annis circiter 3416 in posteris *Heberi*, Abrahamo, Isaaco & Jacob; item sub regibus Israelis & Judæ ad Captivitatem Babyloniam usque *

* Summam, quae eidem unquam obtigit, perfectionem inde a tempore Mosis repetendam esse, eamque aevo Davidis, Salomonis, & seqq. adhuc conservatam fuisse, testantur præclarissima illorum monumenta in fonte hebreo ad nos usque, Deo ita prvidente, propagata.

§. IX.

Ejus exi-
tium.

Post Captivitatem Babyloniam lingua hebraea desit esse Judæis popularis atque vernacula, prævalente sensim Lingua Chaldaea *

* Dura Judæorum sub regibus Babyloniorum 70 annorum Captivitas, linguae hebreæ hactenus florentissimæ non potuit non

non fieri summe exitialis: nihil enim populis devictis magis est connaturale, quam aut sponte, aut cogente ita necessitate imitari linguam, moresque Victorum suorum; haud igitur mirandum, si Judaei ob quotidianum tanto tempore cum Chaldaeis commercium linguae maternae successive obliti, & Chaldaeae magis assuefacti fuerint, adeo quidem, ut e captivitate postea reduces e vulgo Judaei (penes doctiores enim, scribas & sacerdotes linguam hebraeam pariter corruptam, aut plane obliteratam fuisse absque veri specie praetenditur) interprete chaldaeo opus haberent ad ea, quae sacris in libris hebraice conscripta erant, intelligenda; regressis vero in patriam Judaeis spem restaurandi linguam avitam denuo succidit iterata Regum tum Syriae tum Aegypti in Palaestinam irruptio, ac tandem totalis reipublicae judaicae ruina, paulo post aevum nascentis Christi insecuta.

§. X.

Nunquam tamen lingua hebraea penitus obliterata fuit *

Reliquiae
linguae
hebraicae.

* Huic

* Huic namque excolendae, ejusque peritiae comparandae sedulam navarunt operam Judaeorum adhuc superstitionem Magistri, legisque Doctores, qui electis post Christi tempora, tum in Babylonia, tum in Palaestina scholis publicis linguam hebraeam suos docere nunquam non laborarunt; donec Muhammedanis circa A. C. 636. Syriam ac Palaestinam occupantibus, scholasque eorum destruentibus ad Hispanos confugere coacti, ibi saeculis subsequentibus notitiam linguae hebraeae etsi non adeo purae inter suos propagarent, utpote studio talmudico magis, quam biblico sub id temporis addicti. — Tandem methodum grammatices, licet adhuc imperfectae, cuius R. Saadias Gaon primus author fertur, a Saracenis circa saeculum X. edocti, peritiae linguae hebraicae, & facilius, & purius promovendae studebant. — A primis vero nascentis Ecclesiae saeculis (si Originem saec. III, Epiphanium & Hieronymum saec. IV excipias) ad saec. XIII & XIV usque inter literatos christianos vix aliquis occurrit, penitiori quadam linguae hebraeae scientia commendatus — sed

§. XI.

Saeculo XIV tandem, neglecta LL. Instaura-
OO. uti & reliquarum fere literarum in-
ter Christianos studia laetius coeperunt
reflorescere *

* Ansam his procul dubio praebuere
tum frequens Judaeorum hebraice docto-
rum ad religionem christianam conversio,
tum & potissimum Academiae pluribus in
provinciis felici auspicio erectae, quibus
& antiquissima nostra Academia Heidelber-
gensis hoc ipso anno quartum jam Jubilaeum
celebratura merito adnumeranda venit, *in*
quibus ut catholici instituerentur Magistri,
qui Linguas OO. publice docerent, Conc.
Vienn. sub Clemente V.A. 1311. saluberrimi
decrevit; tum etiam Ars typographica
promovendis litterarum quarumcunque stu-
diis apprime favens saec. XV felicissime
ad inventa.

§. XII.

A saeculo XVI & subseq. peritia Lin- LL. OO.
guarum OO. in Germania uberius demum studium
propagata fuit *

* Ex

* Ex historia enim literaria satis constat, ab hocce tempore epocham Musis magis amicam denuo illuxisse, tuncque praeципue, quando bellis in Germania ob Religionis dissidia infauste exortis, tandemque Numine propitio iterum sopitis, bonarum artium, ac scientiarum quarumcunque studia ferventius instaurari cepta fuere, quae inter Linguis quoque exteris, praecipue Orientis profundius addiscendis cura minime postrema impensa vel ideo fuit, ut illarum ope anceps persaepe, quem versiones exprimere videbantur, S. Scripturae sensus ex ipsis fontibus & facilius, & certius obtineri posset; dum enim obortas circa fidem controversias nonnisi ex Verbo Dei scripto solis in fontibus incorrupte, ut putabatur, servato dirimendas a religione catholica alieni exigerent, utrique dissidentium parti necessaria in hunc finem fuit peritia illarum linguarum, quibus S. Scripturae libri primitus exarati, simulque expositi fuere; hancque peritiam solidum linguae primaevae ceterarumque huic cognatarum studium unice subpeditare poterat. — Atque inde id tandem effectum, ut in Germania sine provinciarum exterarum invidia linguae Orientis

tis tam illae, quae hodie adhuc ibi flor-
ent, quam dudum emortuae & prioribus,
& nostro praesertim, quod vivimus, erudi-
tissimo saeculo, maximo rei literariae emo-
lumento felicissime reviviscerent; id quod
innumera, quae pro eruendo genuino S.
Scripturae sensu hodie jam extant hujus
argumenti opera philologica, critica & exe-
getica, dissertissime eloquuntur. — Atque in
hoc ipso laudatissimo Linguarum OO. studio
non minimam meritorum partem DD. Pro-
testantibus deberi nemo est, qui, nisi invi-
deat, non videat. — Circa id temporis ling.
hebr. & græcæ peritia inter germanos in-
claruit primusque Gram. hebr. cum lexi-
co conscripsit *Joannes Reuchlinus* sive Cap-
nio Badensis, Phorcenii an. 1454 natus,
& an. 1521 Stutgardiae denatus.

§. XIII.

Plerique S. Scripturae V. T. libri Ca- Libri he-
none Esdrino contenti lingua hebraea braeo
conscripti primitus fuerunt * idiomate
scripti.

* Exceptis Jer. C. X. - II. Dan. C. II.
a v. 4. usque ad C. VII. Esdrae C. IV.

B

a. v. 8.

a v. 8. usque ad C. VI. v. 19. & C. VII. a v. 12. usque ad v. 27. Chaldaice exaratis; praeter recensitos frustra quis aliquis adhuc libros idiomate pure hebraeo expressos hodie quaesierit.

§. XIV.

Divisio librorum
V. T. Generali divisione, ordine in Bibliis hebraeis recepto in *Legem* * *Prophetas* ** & *Hagiographa* *** dispescuntur.

* Hebraeis תורה dictam, sub qua quinque libri Mosis seu Pentateuchus comprehenduntur.

** Nempe quatuor priores hebr. נביאים scilicet libr. Josue, Judicum, ראשונים 2 Samuelis, & 2 Regum. Et quatuor posteriores hebr. נביאים אחרונים dictos, nempe Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, & 12 Prophetas minores.

*** Hebr. כתובים sicque vocantur Psalmi, Proverbia, Job, Canticum cantorum, Ruth, Threni, Ecclesiastes, Esther, Daniel, Esdras, Nehemias, & duo libri Chronicorum; extra Canonem Esdrae habentur

bentur adhuc, Tobias, Judith, *Chaldaeo*, Baruch, Ecclesiasticus, *hebraeo vel chaldaeo* potius: liber sapientiae, & II. Machab. *graeco idomate* juxta saniores plurium criticorum conjecturas primum conscripti.

§. XV.

Libri V. T. ante captivitatem Babi-
lonicam Characteribus Samaritanis pro-
babilius confignati fuerunt *

* Ita enim S. Hieron. antiquitatum hebraearum optime gnarus in Prologo galeato hanc in rem scribit: *Certum est, Esdram scribam legisque Doctorem, post captam Hierosolymam, & instaurationem templi sub Zorobabele alias literas reperisse, quibus nunc utimur: cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Hebreorum Characteres fuerint: illi proin characteres, queis Biblia hebraea hodie exarata leguntur, verius assyrii sive chaldaeui, quam hebraei dicendi, ab Esdra libros S. post captivitatem babyloniam restaurante adhibiti, utpote Iudeis magis noti familiaresque: literis antiquis seu Samaritanis, Cuthaeis, hoc est, Sa-*

Primi
ling. hebr.
characte-
res.

B 2 maritis

maritis ceu infensissimis Judaeorum hosti-
bus eum in finem relictis, ut vel ipsum
adeo literarum commercium, hactenus
cum illis commune, posthac rescinderetur.
Porro antiquorem literarum samarit. p^ra-
chaldaeis aetatem inter alia testantur *Sicli*
hebr. ante captivitatem babyloniam cusi,
& ex ruderibus Hierosolymae varie effossi
cum inscriptione: *Siclus Israelis, Hierusa-
lem sancta*: sicut & rudit ac simplex cha-
racterum samarit. figura, antiquitatis eo-
rum index haud obscurus &c. duplēm ve-
ro ante captivitatem inter Judaeos obtinuisse
characterem, alterum sacrum, nempe ho-
diernum chaldaeum, profanum alterum sive
samaritanum, inane Rabbinorum figmen-
tum nobis videtur. Plura de hocce the-
mate volenti dabunt Lud. Capell. de antiq.
lit. hebr. Joh. Morin. in Pent. Samar.
Exercit. II. c. 3. Sect. 4-5. Walton Proleg.
III aliique.

§. XVI.

Puncto-
rum voca-
lium Ori-
go. Puncta vocalia textus hebraei una
cum ceteris notis maforethicis neque
Mosi neque Esdrae * sed multo recen-
tioris

Judaeorum h
s, ut vel i
cium, had
ic rescinder
am samarit. p
ia testantur S
bylonicam cu
ne varie ef
lyaelis, Hie
s ac simplex
antiquitat
&c. duplice
udaeos obtin
rum, nemp
num alterum
inorum ha
a de hocce
Capell. de u
n Pent. Su
Walton Pro
ius hebre
dorethicus n
sed multo b
tioris aevi authoribus suam debent ori
gineim **

* Si scriptores sacri Moses, aliique Pro
phetæ Esdra priores juxta §. praec. usi sint
charactere Samaritano, hi saltem puncto
rum vocalium authores, nisi per summam
imprudentiam statui nequeunt: cum li
quido constet, linguam Samarit. ejusmodi
punctis semper caruisse. Sed nec Esdrae
tamquam auctori ea vindicari posse viris
vix non omnibus aliqua eruditionis he
braeae & critics fama conspicuis hodie ex
ploratum est; Mose proin Esdraque multo
juniorem punctorum vocalium aetatem no
bis evincunt sequentes fere rationes:

a. *Silentium tum antiquorum PP. Originis,*

Hieronymi, aliorumque, qui antiquita
tes hebraicas oculo indefesso scrutati fue
re: tum & scriptorum Talmudicorum &
Cabbalistarum praesertim ibi, ubi de
ejusmodi punctis, si extitissent, mentio
nem necessario ingerere, & controver
sam saepe lectionem ope illorum decide
re facile potuissent simul, & debuissent.

b. *Testimonium doctiss. Rabb. Aben Esrae,
Kimchi in Michlol &c. quos refert Elias*

Levita in suo **ספר מסורת המטורת** simulque pluribus erudite ostendit, sapientes Tiberiadis punctorum primos esse authores.

- γ. Frequens antiquarum versionum των ὁ, Paraphr. chald. cum moderno hebraeo textu dissensus, ex diversa lectione ob punctorum olim defectum si non unice, saltem plurimam partem oriundus.
- δ. Variantes lectiones per קרי וכהיב in Bibliis indicatae, quae Esdrae quasi rectae scriptionis aut lectionis ignaro nonnisi ineptissime tribui possunt.
- ε. Analogia aliarum linguarum Orientis, hebraeae affinium, velut Syria. Arab. &c. aut nullis, aut paucis admodum vocalium signis instructarum.
- ζ. Barbara ac plerumque chaldaica vel syriaca punctorum modernorum nomina, multiplex eorum numerus, figura situsque insolitus, & quasi furtive jam supra, jam infra, iam in medio literarum contra morem aliarum linguarum intrusus seu manifesta recentioris aetatis indicia.
- η. Litterae אוי, quas *matres lectionis* vocant, post punctorum inventionem quiescentes

centes &c. plura de his vid. in Auth. supra laud.

** Originem horum punctorum plerique adscribunt Masorethis Tiberiensibus sive doctis Judaeorum Magistris Tiberiade in Palaestina pluribus adhuc post Christum saeculis florentibus, qui, dum lingua hebraea desit esse vernacula, ad conservandam textus hebrei integritatem, veramque lectionem moderna vocalium signa aliasque notas diacriticas circa saec. V aut VI (certum enim tempus nequit adsignari) inventisse & successive textui addidisse, creduntur. Ex his tamen noli inferre

1) Linguam hebraeam Esdrae aetate nullis vocalibus fuisse animatam: cum constet sine his consonas pronuntiari non posse; id igitur unice contendimus modernam punctorum & accentuum farraginem eidem olim defuisse; quinimo aliquot jam vocalium notulis ad determinandam rectam vocis quandoque ancipitis lectionem ante punctorum inventionem antiquis jam usui fuisse, nonnulli cum Cl. Schult. *in praef.* Gram. suae sat probabile existimant. Neque existimes

B 4

2) A

2) A modernis textus hebreai punctis ex eo, quod humanae illa tantum sint auctoritatis, promiscue recedi, aliaque pro libitu substitui posse: Cum enim puncta masorethica antiqua ex traditione genuinam textus lectionem ut plurimum nobis fstant, ab his sine urgente ratione cuvis privato temere discedere haud est permisum.

§. XVII.

Textus
hebreai
integri
tas.

Textus originarius V. T. quoad substantiam integer, purus adeoque authenticus adhuc extat: * proin a Judaeis malevole corruptus immerito incusatur **

* Quomodo enim sua alias versioni vulgariae constaret, saltem Catholicis indubia, in rebus fidei & morum authentia *intrinseca*, ceu perfecta suo cum Originali conformitas (hanc nempe subsecuta ejus praeterea aliis latinis Versionibus in Conc. Trid. approbatio necessario debuit subponere) si ex corrupto illa fonte promanarit? porro omnes V. T. libros incendio aut quovis alio fato periisse unquam & ab Esdra solius

memo-

memoriae beneficio restitutos denuo fuisse,
gratis omnino prætenditur. Conf. Nehem.
C. VIII. 1. 2. 3. — I. Mach. C. III. 48. —
XII. 9.

Fontis vero, quam defendimus, puritatem non in uno alterove tantum codice quovis singulari, sed ubi Critico turbulente fluere videtur, e pluribus melioris præfertim notae codicibus simul collatis, illam quaerendam atque eruendam esse ipsa ratio, nemine etiam monente, dictat: singulis enim codicibus singulos five eosdem five diversos levioris momenti defectus ac errores partim temporum injuria, partim scribarum incuria vel ignorantia, aut quod adhuc pejus, forte etiam malitia hinc inde irrepere posse, nemo humanae fragilitatis conscius dubitabit.

Neque ex tot variantibus, quibus investigandis & colligendis operose non minus, quam laudabiliter hodie insistitur, codicum lectionibus, fidei morumque integritati periculi quid timendum est; hae etenim praeter hoc, quod raro fidei summam tangant, sollicite ad invicem collatae, servatis cœpitices genuinae regulis, id potius subsidii præstant, ut vera tandem aut fal-

B 5 tem

tem verosimilior omnibus mature pensatis
tot inter codices discrepantes lectio eruatur.

** Edicant enim nobis, si lubeat, quot-
quot Judaeos hujus criminis arguunt, quan-
do, ubi, & a quibus id genus malitiae com-
missum fuerit? num ante, an vero post
Christi tempora? verum alterutrum timen-
ti haud levi erit solatio S. Hieron. in C. VI.
Is. ita commentans: „Si aliquis dixerit,
„hebraeos libros postea a Judaeis esse fal-
„satos, audiat Originem, quid in octavo
„volumine explanationum Esaiae huic re-
„spondeat quaestiunculae: quod numquam
„Dominus & Apostoli, qui caetera cri-
„mina arguunt in scribis & Phariseis, de
„hoc crimen, quod erat maximum, re-
„ticuissent; sin autem dixerint, post ad-
„ventum Domini Salvatoris, & praedi-
„cationem Apostolorum libros hebraeos
„fuisse falsatos, cachinnum tenere non po-
„tero, quod Salvator & Apostoli ita testi-
„monia (ex V. T.) protulerint, ut Judaei
„postea ea falsaturi erant”: Imo Christus
ipsem Judaeos ad scrutandas scripturas in-
dubie incorruptas, *Ioan. V. 39.* ablegasse le-
gitur. — Advertendum praeterea, Judaeos
neque voluisse umquam, neque si voluissent,
potuisse

potuisse depravare omnes sacros codices: *primum* enim semper prohibuit, summa & fere superstitione, qua in sacros libros iidem nunquam non ferebantur, reverentia, mortem potius, quam vel unius litterae mutationem admissuri; *alterum* pariter ostendit frequens codicum descriptio, horumque in totum orbem christianum dispersio, atque religiosa custodia quemvis Judaeis ad eos aditum intercludens. Illa vero, quae studiose corrupta a nonnullis suggillantur, facile ab hocce crimine purgantur.

§. XVIII.

Ad libros S. Scripturae V. T. rite Linguae intelligendos linguae hebraeae peritia ^{hebr.} usus. praeprimis necessaria est *

* Dum enim ex §. XIII constat, plerosque V. T. libros suis ab authoribus idiomate primum hebraeo fuisse scriptos, nemo uti quidem opinamur, ad illos recte interpretandos penitorem linguae hebraeae notitiam nedum utilem, sed & adprime necessariam esse serio dubitabit. Tunc etenim quis

quis librum quemcunque demum recte interpretari dicitur, quando regulis sanae Hermeniae debite instructus legitimum verborum sensum ab authore intentum plene adsequitur; quanam vero ratione, quibusve mediis Theosophus verbi Dei scripto sive explanando, sive prædicando ex officio destinatus verum S. Scripturae sensum (eum nempe, quem ipsem Spiritus S. ceu primarius ejus author intendit) referabit idiomatis adeo, quo ipsa scriptura nobis primitus consignata fuit, prorsus ignarus? regerenti forte, linguae originariae defectum ope tum versionum, tum probatorum, qui magno numero subpetunt, Expositorum abunde subpleri posse, haud inviti largimur, ex S. Scripturae versionibus, (quarum usum valde commodum ipsimet mox adsertum ibimus) pro eruendo legitimo scripturae originariae sensu plurimum subsidii iis saltem subpeditare, qui alienis magis, quam propriis videre oculis, plura credere, quam scire amant; sed quid tunc? ubi verum scripturae sensum scrutari volenti, versionis præsertim antiquae, idioma aequa ac fontis ipsius ignotum fuerit? quid? si versio forte corrupta, aut
fonti

fonti dissona adpareat, aut eadem, qua
ille obscuritate laboret? quid? si idiotismi
plures soli fonti proprii commodam sui in
alias linguas translationem plane respuant?
aut ipsimet interpretes de genuino fontis
sensu inter se adhuc certent, sive, quod
non infrequens est, sensa de sensu contro-
verso prorsus obposita dubitanti exhibeant?
num in hoc eventu utrisque (quod tamen
rationi repugnat) aut, ne verum forte pro
falso eligat, nulli suum praestabit adsen-
sum? probe conscius singulos interpretes,
nisi unanimis omnium aut plurium saltem
Patrum conspiret consensus, falli quando-
que & fallere posse utpote nullo inerran-
tiae dono praemunitos: in hujusmodi igitur
interpretum confictu, judicio Ecclesiae
adhuc suspenso, linguae originariae
penitus ignarus genuinum scripturae sen-
sum ex officio reddere forte rogatus, eun-
dem aut ex aliorum ore vel calamo non-
nisi titubando exponere, aut aliis in consul-
tis mere divinando depromere debebit, nec
sibi, nec cuiquam alteri verum sensum
præstolanti unquam plene satisfacturus.

§. XIX.

 §. XIX.

Versio-
num usus
genera-
tim.

Sacrae scripturae Versiones praeser-
tim antiquiores pro obtainendo vero ejus
sensu non solum utiles sed & saepe ne-
cessariae sunt *

* Partim ad verum & antiquum vocum
linguae originariae significatum facilius de-
tegendum, textusque primaevi puritatem
ac integritatem aut firmandam, aut restituendam, — partim ad AA. praecipue Judaeos
ex propriis ipsorum versionibus efficacius
convincendos. Cum enim linguae hebraeae
utut olim florentissimae, sed jam ultra bis
mille annos emortuae tota, quae adhuc su-
pereft, curta supplex solius V. T. codi-
cis inclusa fit angustiis, facile intelligitur,
vocum hebraearum plures vel periisse pe-
nitus, vel saltem illarum, quae nonnisi semel
aut raro in Bibliis occurrunt, significatum,
nobis admodum obscurum, dubiumque
fieri; utrique proin defectui optime me-
dentur textus originarii in alias tam Occi-
dantis, quam Orientis linguas hebraeae
praesertim cognatas factae translationes:
quarum authores, quo hebraeae adhuc flo-
rentis

rentis aetati erant propiores, eo magis antiquum, verumque vocum hebraearum significatum sibi perspectum habuisse credendi, ideoque in locis obscuris, nobisque imperviis merito consulendi sunt.

§. XX.

Quascunque V. T. Versiones, anti-
quitate sua praecedit Graeca LXX In-
terpretum sic dicta translatio *

Versio
Græca.

* Pluribus equidem recentiorum Criticorum sublestae fidei & a quodam Judaeo Hellenista, cuidam Aristaeae Ptolemaei Philadelphi quondam Aegyptiorum Regis aulico subposita videtur hujus versionis historia, praesertim circa ea, quae de interpretum numero, tempore, loco, modoque enarrantur; in hoc tamen critici ferre omnes facile conspirant, plerosque V. T. libros ducentis, & amplius ante Christum natum annis graeco jam idiomate expressos, & in Judaeorum synagogis publice praelectos fuisse, tantamque in Oriente auctoritatem passim obtinuisse, ut Christus ipsemet, ejusque Apostoli plura V. T. testimonia

monia ex ipsa hac versione pro re nata con-
sueverint proferre; quo factum, ut quem
adhuc hodie possidet, usum publicum, sum-
mamque fidem in Orientis non minus, quam
Occidentis Ecclesiis illa nacta fuerit, non
obstantibus, quibus interea conspersa fuit,
levioris momenti naevis atque defectibus.

Praeter hanc novas ex hebreo V. T.
in Graecum versiones altero circiter post
natum Christum saeculo adornarunt *Aquila*,
Symmachus, & *Theodotion*, qui, cum vel
origine vel religione ad tempus saltem Ju-
daeи fuerint, his quoque magis ac Chri-
stianis quandoque favisse inveniuntur; in
iis tamen, quae religionem christianam
proxime haud concernunt, illorum versio-
nes ad textus hebrei genuinam lectionem
sive restituendam sive confirmandam per-
utiles, ideoque dignae habitae fuere, quas
Origines in sua referret *Hexapla*, versio-
nibus postea *Hierichuntina* & *Nicopolitana*
incertorum Auctorum aucta, ideoque *Ota-
pla* passim vocata.

§. XXI.

Ceteras inter Orientis versiones pro Paraphr.
chaldai-
cae.
V.T. exegesi usum praestant uberrimum
Paraphrases chaldaeae sive * תרגומיים *

* Non una unius, sed plures diversorum authorum, tempore pariter diverso, prodiere ejusmodi Paraphrases, ob linguae hebraeae ignorantiam post captivitatem babyloniam inter ipsos Judaeos invalescentem, potissimum enatae: *Prima* in Pentateuchum ab *Onkeloso* edita est, ob styli puritatem & concisam magis sensus expressionem, duplii alteri in eundem Pentateuchum paraphrasi *Hierosolymitanae*, & cujusdam *Jonathanis*, sive incerti potius authoris longe praehabenda. *Alteram* in prophetas tum priores, tum posteriores concinnavit *Jonathan Ben Uziel*, priori *Onkelosi* proxime comparandam. *Tertia* demum in Hagiographa, quae R. *Josepho Lusco* vulgo adscribitur, ab ejus ore primum a discipulis, nude, ut fertur, excepta, stylo postea uberiori successive consignata, & in certum ordinem immixtis etiam hinc inde fabulis, redacta fuit. — Reliquae paraphrases in libros

C

par-

particulares, Cantica nempe, Ruth, Threnos, Ecclesiasten, & Estherem hebr. מגלות dictos, aevi saeculo V. posterioris impuri partus sunt, figmentis talmudicis passim referti. — His igitur seclusis cum hae paraphrases, praecipue antiquiores, prophetias hebraeo sermone de Messia obscure quandoque loquentes, multo clarius ceteroquin exponant, decretorium christianis contra Judaeos argumentum pluries subpeditant.

§. XXII.

Versio Syriaca. Duplex hodie V. T. extat versio Syriaca, altera ex ipso fonte hebraeo, Apostolorum aetati fere coeva: altera ex versione των ὁ πosteriori tempore expressa *

* Prior Maronitis *simplex & antiqua* vocata, incerti quidem authoris aevo tamen apostolico proximi partus esse inde colligitur, quod ab antiquis jam Patribus Origene, Basilio, Ephrem, aliisque ejus fiat mentio: haecque, cum linguae hebr. valde cognata sit, textuque pressa insistat, in exponendis felicius locis obscuris, fontisque genuina

genuina lectione comprobanda insignem habet usum. — Idem vere de Versione Syriaca N. T. sentiunt eruditi. — Parem *posterior*, quam *figuratam* compellant, usum haud subpediat, nisi forte ad faciliorem graecae Versionis intelligentiam promovendam, veramque ejus lectionem hinc inde stabilendam. Hujus Authorem, atque natales in saeculo VIII. quaerendos esse Critici plerique existimant.

§. XXIII.

Versio V. T. Arabica in polyglottis anglicanis contenta, partim ex hebraeo partim ex versione των ὄτων, & Syriaca expressa fuit *

Versio
Arabica.

* Variae a variis tum Judaeis, tum Christianis, vix tamen ante saec. X. prodiere V. T. versiones arabicae, quas inter praeципue commendatur illa a R. Saadia circa Saec. X. ex hebraeo facta, cuius tamen solus Pentateuchus luce publica donatus scitur, cum versione arabica in polyglott. paris. & lond. ut plurimum conspirans. Habetur & alia Pentat. Versio arabica, Judaeis Mau-

ritanis olim usui, & ab Erpenio 1622. Lugd. Bat. edita, textui hebraeo presse insistens. — Reliquas utriusque T. tam integri, quam singulorum librorum versiones arabicas a christianis partim ex hebr. partim V. Syr. & των ὁ quoad V. T. varie factas hic recensere omnes non vacat: usus illarum pro librorum authorumque diversitate equidem diversus est, ad illustrandum tamen obscuris in locis textum hebraeum, ambiguumque vocum significatum exactius determinandum p[ro]p[ter]e aliis versionibus plurimum subsidii lucisque subministrat.

§. XXIV.

Pentateuchus Samaritanus.

Pentateuchum Samaritanum eadem fere cum hebraeo, non tamen majori auctoritate, gaudere verior nobis hodie videtur Criticorum sententia *

* Usum ejus Hebraeis olim ad captivitatem babyloniam usque tam in Samaria, quam Judaea communem fuisse, historiam gentis hebraeae perlustranti, coll. simul §. XV. facile constabit; ejus quoque mentionem saepius ingerunt antiqui scriptores,

Eusebius

Eusebius, Cyrill. Alex. Hieron. aliique. Europaeis tamen, quo, nescitur, fato nulla illius copia concessa fuit, nisi usque ad saeculi proxime elapsi initia, ubi quoddam illius exemplar, curante inter alios *Achille Harlaeo, Congr. Orator. presbytero, posteaque Episcopo, ex Oriente Parisios delatum,* & polyglottis tum parisiensibus, tum anglicanis postmodum insertum fuit; hunc ipsum vero Pentateuchum Samaritanum plane conspirare cum illo, quem memorati ante scriptores laudarunt, testantur praeter alia, textus ab iisdem PP. citati, & cum moderno Samaritano textu ab eruditis sollicite collati. — Porro nihil fidei moribusque dissonum exhibit Pentateuchus praefatus, solaque ejus ab hebraeo differentia (si excipias *גַּרְזִים* loco *עֵבֶל* a descriptore olim *Deut. XXVII. 4.* forte studiose intrusum) in eo deprehenditur, quod quaedam addita, repetita, transposita aliter ac textus hebr. contineat. Usus illius tum in confirmanda ac declaranda moderni hebraei lectione, tum in refutandis variis Judaeorum mysteriis ex varia literarum hebraearum figura, situ &c. frivole haustis, se potissimum commendat. Vid. *Morin.* in

Exercit. in Pentateuch. Samarit. *Walton.*
Proleg. XI. &c.

§. XXV.

Verio Sa-
maritana.

Duplex extat Pentateuchi Samarita-
ni translatio: alia *Chaldaeo-Samaritana*, *
Arabica alia **

* *Prioris* neque auctor, neque tempus
certo definiri potest ob neglectam a Sama-
ritanis gentis propriae historiam indeque
enatam antiquorum gestorum ignorantiam:
post linguae tamen hebraeae interitum il-
lam iisdem ferme ex causis, ob quas Pa-
raphrases chaldaeas supra §. XXI. exortas
innuimus, adornatam quoque fuisse, sat
fundata plurimorum statuit opinio: unde
pariter chaldaeae ejusdem dialecti cum he-
braea, hac tamen praevalente, commixtae
origo, haud difficulter colligitur: extat ea
in Bibliis polyglottis Parisiis ac Londini
editis, textui κατα ποδα plerumque insi-
stens, ideoque cum unica tantum versione
latina textum simul & versionem concinne
exprimente.

Altera

** Altera versio *Arabica*, ob sui cum versione arabica Pentateuchi *Saadiae* frequentem consensum nonnisi post saeculum IX, quo auctore? nescitur, enata, sectae muhammedanae per Orientem una cum lingua arabica circa id temporis late jam diffusae, suam verosimilius debet Originem. — Quae de *tertia* Pentateuchi Samaritani versione *graeca* a quibusdam narrantur, fidei sunt admodum dubiae: cum illa ubi hodie lateat, ignoretur. — Versiones *Aethiopicam*, *Perficam* &c. fusius hic recensere consulto omittimus: partim quia haec non ex fontibus, sed aliis tantum ex versionibus plerumque sunt factae, partim etiam, quia modicum in exegesi sacra usum subpeditant.

§. XXVI.

Inter omnes, quae sive in Oriente, Versio latina vulgata.
sive in Occidente unquam prodiere tex- gata.
tus Originarii Versiones, usu & auctoritate praeeminet *vulgata latina* *

* Prima S. Scripturae versio latina ex ipsa των ο V. T. translatione ab authore in-

certo redditia Ecclesiae nascenti jam coaeva,
 Hieronymo *vulgata*, Augustino *Itala*, Gre-
 gorio M. *Vetus* vocata, usum inter chri-
 stianos publicum invariatum tenuit ad saec.
 IV. usque, quo ab Hieronymo adhuc ju-
 vene iis in locis, ubi a versione των ὁ discre-
 pare videbatur, ex graeca *Originis hexa-*
plari, quae pura adhuc credebatur, ver-
 sione primum emendata fuit. Novam dein
 idem Hieronymus jam adultior omnium,
 quos Canon hebraeorum tunc exhibebat,
 V. T. librorum, Tobiae quoque & Judith
 versionem, ex ipso fonte hebraeo, multo-
 rum amicorum suasu, utpote cunctis ad id
 operis necessariis naturae artisque subsi-
 diis optime instructus, tandem adgressus,
 ea perfecit diligentia, ut ad *hebraicam veri-*
tatem, quo nomine textū originarium in-
 dicare solebat, quam proxime posset, acce-
 dere studeret, nunc verba, nunc sensum,
 nunc utrumque simul, exprimendo; prout *in*
praef. *in Jobum* ipsem testatur. — Utut
 vero nova haec versio, sua se praestantia,
 utpote Fonti adprime conformis, nedum
 christianis, sed ipsis adeo Judaeis mire
 commendaret, usum tamen publicum (ut-
 potē pluribus, praecipue S. August. vulga-
 tae dudum receptae auctoritate nimium p̄a-
 occupato, fortiter reluctantibus) nonnisi
 circa saec. VI. consecuta, & ab eo fere tem-
 pore promiscuo una cum vulgata veteri usu
 aliquamdiu donata fuit, donec tandem ex
 utraque, veteri nempe, & nova Hierony-
 mi versione, parte tamen hujus potiori

(Psal-

(Psalmos nempe, & quaedam alia si excipiās) retenta, ea ipsa, quam hodie habemus, vulgata conslata fuerit, etsi, quo praeclīse tempore, quove authore id factum sit, ignoretur. — Porro hanc ipsam vulgatam non solum nihil *verae fidei*, *morumque* doctrinae adversum continere, quin potius antiquum vocum hebraearum significatum exakte plerumque determinare vel ipsi inter DD. Protestantes Viri doctissimi ingenue hodiecum fatentur; quibuscum tamen nos ipsi haud diffitemur, plura adhuc, etiam post iteratam ejus correctionem, levioris momenti errata in ea contineri; in quorum tamen censum nolumus ea omnia computari, quae *Vulgatam* a moderno tex-
tu hebraeo V. & graeco N. T. dissentire manifestant: hujus enim dissensus ratio in illis saepe defectibus & erroribus invenitur, quos vel ex librariorum incuria aut ignorantia, vel praeproperea Criticorum audacia in textum primigenium impune irrepisse, ingens variantium Lectionum numerus a Viris industriis jam collectus abunde testatur, ex antiquorum codicum, & versio-
num collatione denuo emendandos. De cæ-
tero siquid in Vulgatae verbis, aut integris etiam sententiis obscurum aut ambi-
guum, aut ea, quae fonti propria est, ener-
gia non satis expressum occurrat, hujus lu-
cem aut medelam e textu originario unice
petendam esse, nemo est, qui nesciat.

§. XXVII.

§. XXVII.

Scripta veterum Rabbinorum scripta, a farabbinica. bulis purgata, christiano S. Scripturae Interpreti pro capiendo vero ejus sensu subsidium haud leve quandoque subpeditare valent *

* Rabbinos namque aliosque Scriptores judaeos, praesertim veteres, antiquatum, rituum, morumque gentis suae prae ceteris peritos, ac traditionum a Patribus haustarum ad prime gnaros, valdeque tenaces fuisse, abunde compertum est: horum vero notitiam ad rectam S. Scripturae intelligentiam praeprimis necessariam esse, quis dubitet? sub nomine interim scriptorum rabbinicorum intelligimus tum varia illorum commentaria pro illustrandis locis scripturae obscuris, olim edita, tum etiam *talmudica*, quae in judaeorum תלמוד, talmude h. e. libro universam eorum doctrinam sacram aequa ac profanam orali tradione a Mose, ut jactant, propagatam, duabus partibus *Mischna*, & *Gemara* sive *supplemento*, complectente hodie exhibentur; fatemur equidem multas in hisce scriptis reperiri fabulas, superstitiosa multa, quid? quod impia quoque ac manifesta mendacia, ita tamen plerumque conficta, ut ea ab erudito quovis facile detegi, & vix non manibus palpari valeant: irritum tamen illorum censemus conatum, qui omnia religionis christiana dogmata ex iis probare frustra contendunt.

SELECTAE
P O S I T I O N E S
PHILOLOGO - SCRIPTURISTICAE
EX
L I B R O I. M O S I S.

- I. *Moses scriptorum Ss. antiquissimus, Pentateuchi, Hebr. חמשה הומשי תורה i. e. quinque quintae sci. partes legis dicti genuinus author, libro I. sive בראשית veram ab orbe condito historiam gentis judaicae circiter an. 2370, encarrat.*
- II. *Anni, quibus ille Patriarcharum παιδογονιαν ac aetatem universim determinavit, solares, nostrisque similes fuere.*
- III. *Chronologiae fontis hebraei potius, quam versionis των ὁ inhaerendum esse consemus.*
- IV. *Cap. I. 1. Ex ברא אלהים mysterium trium in uno Deo Personarum non evincitur. Huic tamen magis favent ψ. 26. ib.: item Cap. III. 22. Et Cap. XI. 7. &c.*
- V. *Cap. I. 2. ורוח אלהים מרוחבת על-פני המים & Spiritus Dei ferebatur super aquas: consulto Patrum antiquorum sensu frequentius quidem de Spiritu Dei, quam vento vehementi intelliguntur: et si linguae genius posteriori explicati quoque suffragari videatur.*
- VI. *Cap. II. 2. יכול אלהים ביום השביעי מלאכתו Vulg. Et complevit Deus die septimo opus suum: loco Samar. sensui conformius exprimit περιπλάνητος in die sexto: quam lectionem quoque referunt LXX. Και συνετελεσεν ο Θεος εν τη ήμέρᾳ τη ἑκτῃ τα εργα αυτα. Et Syrus.*

על-כן יעוזב-איש אֶת-אָבִיו וְאֶת-

Vulg. Propterea relinquet homo Patrem suum & matrem suam &c. Haec coll. cum Matth. XIX. 5. Marc. X. 7. verius ab Adamo inspirato prolata, quam a Mose addita existimamus.

וְהַיּוּ לְבָשָׂר אֶחָד *Vulg. Et erunt in carnem unam. Reste subplet Samar. זְמֹנָה בְּשָׂרֵךְ אֶתְרִיתְאָמְבּוֹבָס. פְּשָׁעַתְאָמְבּוֹבָס. caro una; ita & LXX. Kai εσονται οι δυο εις σαρκα μιαν cum Vers. S. Hier. Syr. Arab. & Vulg. &c.*

וְהַנְחֵשׁ ... וַיֹּאמֶר אֱלֹהָשׁ וְנוֹ'

Et serpens dixit ad mulierem: & reliqua in hoc Cap. de lapsu primorum parentum a Mose relata, ac in sensu verborum obvio intellecta nihil absurdij exhibent: hinc symbolicam & hieroglyphicam, quam hic nonnulli adoptant, de interna tantum ad peccatum suggestione &c exegesin utpote sensui historico & literali prorsus adversantem merito repudiandam censemus.

... אָרוֹר אַתָּה עַל-גָּחָנָךְ תָּלָךְ וְעַבְרָ

Maledictus eris ... super pectus gra- dieris, & pulverem comedes &c. coll. Isa. XLXIX. 23. Mich. VII. 17. &c. metaphorice de destruendo per Messiam Daemonis in homines imperio, ejusque plena subjektione exposita poenam minime ridiculam, non quidem serpentis naturali utpote nullius criminis capaci, sed Daemoni ipsi ceu primo peccati auctori inflictam insinuant.

וְאִיכָּה אֲשִׁית וְנוֹ' *Et inimicitiam*

ponam &c. prima de Messia venturo promissio narratur, ideoque cum Sam. LXX. Paraphr.

Chald.

Chald. conformius הָוָא ipse vel ipsum (se-men) quam *חִיא*, ipsa (mulier) cum *Vulgata* legitur.

XII. Cap. IV. 7. וְאֵלֶיךָ תִשׁוּקְתָּו וְאַתָּה תִמְשַׁל־כָּךְ
Et ad te conversio vel obedientia ejus, & tu dominaberis illi: pensatis adjunctis de dominio Caini in Abelem non inepte exponuntur. Vers. των οὐ haud invita: πρός σε καὶ αποστροφή αυτῷ ἐστι.

XIII. Ibidem post verba וַיֹּאמֶר קַיִן אֶל־הַבָּل אֲחִיו
Et dixit Cain ad Abel fratrem suum: a Sam. LXX. Aquila, Vulg. & Syro recte suppletur seqq. Egrediamur foras. Ni malis cum Cl. Michaelis D. B. 9ter Th. f. 182. loco olim forte sine & scripti a. r. מִרְרָה hoc sensu legere: Cain vero fuerat exacerbatus contra Abel fratrem suum.

XIV. Ibidem 26. אֹז הַוחֶל לִקְרָא בְשֵׁם יְהוָה
tunc ceptum est invocare nomen Domini, coll. cum Cap. VI. 2. וַיַּרְא בְּנֵי־הָאֱלֹהִים Et viderunt filii Dei, ita congrue exponi possunt: Tunc ceptum est vocare (homines) nomine Jehovah; h. e. Filios Dei.

XV. Cap. V. 24. וַיַּתְהַלֵּךְ חָנוֹךְ אֶת־הָאֱלֹהִים וְאַיִן־נוּ
Cidelkah atro alhims Vulg. Et ambulavit Hennoch cum Deo, & non adparuit: quia tulerat eum Deus coll. cum Eccles. XLIV. 16. & Hebr. XI. 5. Πιστεύει Ενώχ μετεπέθη τῷ μὲν υἱῷ Davatov &c. nonnisi contortum de morte Hennoch naturali explicatum admittunt.

XVI. Cap. VII. 20. חמש עשרה אמה מלמعلاה
גברו הימים ויכסו החררים וגנו' Vulg. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat &c. Ex his nobis manifestum fit, diluvium

luvium fuisse universale; quidquid demum increduli obganniant.

XVII. Cap. IX. 5. **את-דרכם לנפשתיכם אדרש**
מִדְכָּלְחֵיה . . . הָרָם וָגוֹ' ,
sanguinem vestrum, animarum vestiarum requiram de manu omnis bestiae . . . Et de manu hominis &c. loco מִדְכָּלְחֵיה de manu omnis bestiae, Samar. sensum stylo, scopoque Mosis magis adcommodatum reddit ita legendo: **בְּנֵי יִשְׂרָאֵל צַדְקָה** De manu omnis viventis requiram eum i. e. de manu hominis, de manu viri, fratris &c.

XVIII. Cap. X. 21. **ולשם יְלִד גָּסֶהוּא אָבִי**
כל-בנֵי-עַבְר אֲתִי יִפְתָּח הַגְּرָל
Punctis nonnihil variatis hunc reddimus sensum: Et ipsi Sem fratri Japhet majoris natus est etiam ille ipse (inter posteros) qui fuit pater omnium filiorum Heber, h. e. qui posiea dicti sunt Hebraei.

XIX. Cap. XI. initium usque ad v. 10. exclusive praemissum Cap. X. integro, huicque subjuncto Cap. XI. 10. cum seqq. connaturalem magis rerum gestarum ordinem cum serie narrationis absque hysterosi exhibet.

XX. Ibidem 4. **ונעשה-לנו שם פְּרָנָפְזָן עַל-פְּנֵינוּ**
Coll. Is. LV. 13. II. Sam. VIII. 13. כל-הארץ ita interpretamur: Et faciamus nobis signum, ne dispergamur in superficiem omnis terrae: hujus expositionis rationem coram reddituri.

XXI. Ibidem 12. Cainan Arphaxad inter & Sale in textu hebr. constanter omissus versioni των ὁ & Luc. Cap. III. 36. aliena manu sive errore, sive fraude insertus nobis videtur.

XXII. Ibidem 31. loco hebr. **וַיֵּצְאֵי אֶחָם וָגוֹ'** h. e. Et exiverunt cum eis, praferimus denuo Samar.

Samar. שָׁמָר אֶצְבָּעֵן Et eduxit eos de Ur Chaldaeorum; ita & LXX. cum Vulg.

XXIII. Cap. XI. 32. וַיְהִי יָמִיתָרָה הַמָּשׁ שָׁנִים
Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum & mortuus est in Haran. coll. cum v. 26. vixitque Thare septuaginta annis & genuit Abram &c & Cap. XII. 4. septuaginta quinque annorum erat Abram, cum egredieretur de Haran. Item Act. VII. 4. Postquam mortuus est pater ejus &c nonnisi difficillime conciliatur; quaevis vero disparate antilogia, si cum Sam. ita legatur v. 32.
Et fue- קָרְבָּן. שָׁבָת. שָׁבָת. שָׁבָת. שָׁבָת. שָׁבָת. Et fuerunt dies Thare quinque anni & quadraginta & centum anni, sive 145. &c. Nam anno 70. vitae Thare, quo is genuit Abram, additi anni 75, quos Abram post mortem Thare Act. VII. 4. de Haran egrediens numerabat, faciunt 145. annos: cum 70 + 75 = 145.

XXIV. Cap. XII. 7. וַיַּרְא יְהוָה אֶל־אַבְרָם וַיֹּאמֶר
Vulg. Et adparuit Dominus Abram: hanc alias que Dei adparitiones V. T. Patriarchis factas ceu irrefragabiles eximiae ejus erga illos bonitatis & benevolentiae testes non angelis, sed ipsimet Deo immediate cum Patribus antiquis plerisque adscribimus: proin redivivis hodie Arianis Socinianisque exin nulla subpetit ratio, sua Christum divinitate spoliandi, eumque merum Dei legatum, ejusque in terris vices gerentem ex eo declarandi, quod & in V. T. Dei adparitiones non nisi Angelorum ministerio peractae fuerint.


וּמֶלֶכְיָצְדָק מֶלֶךְ שָׁלֵם הַוֹּצִיא
XXV. Cap. XIV. 18. Vulg. Melchisedech
לְחֵם וַיַּן וְהָוָא כָּהֵן וְגוּ' vero Rex salem protulit panem & vinum; erat enim Sacerdos &c. Ex hoc, conf. simul Ps. CIX. (Hebr. CX.) 4. & Hebr. VII. 1. & seq. ipsum Melchisedechum panem & vīnum in sacrificium obtulisse, & sacrificio Christi typice praelusisse nobis indubium est.

וְסִמְנָה אֲחֵתִי בַּתְּ-אָבִי
XXVI. Ex 12. Cap. XX. הוּא אָךְ לֹא בַּתְּ-אָמִי Et etiam vere soror mea est, filia patris mei, sed non filia matris meae. Sarum veram Abrae ex eodem patre, matre vero diversa sororem, & inter hos in statu naturae matrimonium licitum fuisse redde inferimus.

לֹא יִסּוּר . . . וּמְחַקֵּק
XXVII. Cap. XLIX. 10. Non recedet . . . מִבֵּין רְגָלָיו עַכְּ דִּיְבָא שִׁילָה . . . & legislator de femore ejus, donec veniat schilo: quae hic in fonte hebraeo obscura sunt, Samar. clarius ita determinat צְפָנָה. נְזָהָרָה. פְּאַמְּרָה. וְפָאָה vexillis ejus, donec veniat Pacifier. Pax enim Deum inter & hominem lapsum iterum restauranda, erat praecipuus promissi Messiae

Finis.

O. A. M. D. G.



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

A 1	2	3	4	5	6	M	8	9	10	11	12	13	14	15	B 17	18	19
-----	---	---	---	---	---	---	---	---	----	----	----	----	----	----	------	----	----

